



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Aragonvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ILLVSTRI REGI ARAGONVM.

Epist. 114.
De Maximo
Frederico
Rege Siciliae.
Idem supra epist.

VT carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliae Rex illustris carissimam in Christo filiam nostram Constantiam sororem tuam, quondam Regiam Hungariae, ducat in conjugem, apostolicum impertimur assensum, & quod statutum est & concessum de duobus dotaliis, donationibus videlicet propter nuptias, approbamus. De tertio vero, quod est arbitrio nostro commissum, hoc tuae serenitati mandamus, quod media via duximus incedendum, ita videlicet ut secundum tenorem conventionum ceteris adimpletis, illud super hoc expectetur implendum quod nostra decreverit providentia, ipsi profecto negotio sine majoris expressionis indicio profutura. Quocirca tuam regalem prudentiam fideliter exhortamur sollicitè commones quatinus moras ulterius non innectens, ad consummationem hujus negotij studiosè procedas; quia longè majus quam hactenus tibi ostium est apertum. Datum Sorae VI. Idus Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

NOBILIBVS VIRIS RECTORIBVS,
Consulibus, Castellanis, civibus, aliisque
fidelibus nostris per Campaniam constitutis.

Epist. 115.
De nosstra re-
spicienda per
totam Campa-
niam.

Cum ex paucitate denariorum de Flore ac ponderatione ipsorum multa impedimenta proveniant, communi super hoc utilitati providere volentes, universitati vestrae praesentium auctoritate mandamus atque praecipimus quatinus passim de cetero tam in magnis commerciis quam in parvis nostram recipiatis monetam, quae vulgò dicitur de senatu, & per totam Campaniam recipi faciatis, inhibentes districtius ut denarij de Flore amodo non ponderentur ab aliquo, nec pro mercimoniis exigantur. Si quis autem eos exigere vel ponderare praesumpserit, quadraginta solidos curiae nostrae pro poena persolvat. Quicumque vero debet denarios censuales, pro duodecim de Flore reddat sedecim de senatu. Datum Sorae Nonis Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO AVERSANO.

Epist. 116.
Mandatum de
pura praeben-
da vacante.

Cum in Ecclesia tua beneficium non vacaret ad praesens quod dilecto filio S. Acolyto nostro posses conferre, pollicitus es eidem quod primum in eadem Ecclesia vacans beneficium assignare volebas; quod cum ad nostram notitiam

pervenisset, fecimus tibi proponi ut praebendale beneficium primum in tua Ecclesia vacaturam reservares donationi nostrae, personae idoneae conferendum, quod tu liberaliter acceptasti. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus primum praebendale beneficium quod in tua vacabit Ecclesia donationi nostrae studeas reservare. Datum apud sanctum Germanum VIII. Kalend. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CLERICIS
sanctae Mariae de Flumine de Ceccano.

Epist. 117.
De confirma-
tione privile-
giorum.
Vide 10. 1. Ital.
fac. pag. 725.
Epist. 1. append.
pag. 481.

Iustis petentium desideriis &c. usque inclinati, personas vestras & Ecclesiam sanctae Mariae de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quae in praesentiarum rationabiliter possidetis &c. usque suscipimus. Specialiter autem sancti Stephani & sancti Quirici Ecclesias cum omnibus tenementis & pertinentiis suis, forestam juxta Ecclesiam sancti Stephani, & de capite pontis de Prato & de Gineis, molendina, vineas juxta Ecclesiam ipsam, & aliam quam emistis in loco qui appellatur Marana, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos, & possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitimus. Libertates quoque & immunitates necnon & exemptiones secularium exactionum à dilecto filio nobili viro Iohanne de Ceccano tam patre quam providè vobis & Ecclesiae vestrae concessas, sicut in ejusdem nobilis authentico perspeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere. Cujus tenorem de verbo ad verbum praesenti paginae duximus inferendum. **IN NOMINE DOMINI.** Anno dominicae incarnationis M. C. nonagesimo sexto, pontificatus Domini Caestini tertij Papae anno sexto, Indictione XIV. mense Julij, die vigesimo quarto. Hac die ego Iohannes de Ceccano in praesentia Domini Iordani Cardinalis sanctae Pudentianae carissimi patris mei & venerabilium Episcoporum Berardi Ferentinatis, & Petri Signini, & Iohannis Anagnini, & Taddaei Alatrini, & Oddonis Verulani, & Thedelegarij Terracinenfis, & multorum hominum totius Campaniae & Ma-